

IOANNES KEYSERSPERGIVS CONCIONA-  
tor Argentinensis.



Ioannes ille in oppido Alsatiæ Keysersperg na-  
tus & educatus fuit. Is sese amore literarum ad  
uarias Academias contulit, atq; magnam cognitio-  
nem Philosophiæ & bonarum artium acquisivit.  
In primitis autem Theologiæ operam dedit, atque  
creatus Doctor plurimum in ea promouit. Cum  
autem is Ioannis Gersonis (qui tempore Concilij  
Constantiensis uixerat) ingenium & scripta mira-  
retur, eius opera magnis sumptibus et laboribus in  
Gallia collegit, atq; secum in Germaniam adduxit.  
Ea in tres partes distinxit, atq; æneis typis imprimi  
curauit. Cum autem huius Keyserspergeri eruditio  
& pietas ubiq; innotesceret, Argentinæ concion-  
bus præficitur. Ibi magna cum laude & singulari facundia uitia detestatus, ho-  
mines ad ueram pietatem & uirtutes adhortatus est. Inter alia autem uarias su-  
perstitiones in Ecclesia inueteratas taxabat, atq; monachorū spinis repudia-  
tis sacrarum literarum libros in medium reuocabat, admonens nostræ religio-  
nis fundamenta ex Biblijs, non aliunde depromenda esse. Itaq; nigros mona-  
chos uocabat diabolos, & albos eius matrem, uerùm mixtos eorum pullos.  
Vnde eos sibi semper aduersarios habuit. Prædixit etiam religionem esse cor-  
ruptam, uenturumq; quendam diuinitus excitatum, qui eam instauret. Eam-  
que diem uidere exoptauit. Floruit is anno 1496. Trit.